



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. S. Basilij & Ambrosij locus inter se collatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

suprà similem de Ierofolymitanis historiam attulimus, & potest ex ipsis diuinis paginis reponi, in quibus, apud Regem mulier
 4. Reg. 6. 25. ita causam suam agit: *Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixiq; ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Qua abscondit filium suum.* Quid mirum, si abscondit filium ad lanienam petendum? Tales enim parentes, quantum animo capere dolorem, quantum sentire cruciatum existimemus, quos pusilla soboles velut auicula circumuolat, & hiante osculo clamat: Da mihi panem, ô dulcis pater; optima mater, Da mihi panem. Ecquid audis? panem da mihi: En fame enecor: Eia, da mihi, obsecro, panem. Instat, vrget, flagitat, fletu: & interim in panario micula panis est nulla, qua charissimis capitibus succurrant. Immodò nec est, quo suam inedia m fament. Fament, rabiunt, in cibum obuium cum insania feruntur; & more luponum irruunt in ipsos liberos suos lacerandos, epulandos, atque eò, vnde nati sunt, reponendos.

X.

S. Basil. homil. in illud: Destruam horrea mea.

Theophil. Raynaud. de virtutib. & vitijs lib. 4. sect. 2. c. 20. num. 225.

Hanc vim naturæ illatam, doloresque ipsi facinori immis-
 sos, vix capere explicatiùs possumus, quàm ex oratione S. Basilij, qua seriò grauitèrque auarum hortatus, ne velit alienarum calamitatum caupo ac inlitor effici, ijs pressis ac subductis, quibus aliena calamitas leuari posset; tandem, vt hominem saxum emolliat, patrem proponit filios habentem promercales; nec tamen oblatione viscerum suorum pro alimonix pretio, vllatenus auarum flectat, præ auaritia supra cautes & saxa duratum. *Expres-
 sum dicerem, vt alia plerag; ait Raynaudus, eum S. Basilij locum à S. Ambrosio lib. de Nabuthe Israelita c. 5. nisi quod S. Basilius ingeniosè dumtaxat, & oratorie proposuit, hoc Ambrosius, tamquam rem à se visam referret. Sed potuit S. Ambrosius in exempli sibi com-
 perti expositione & amplificatione, seu potius expensione, suppetias à S. Basilio de more querere.* Itaque non abs re erit, si locum D. Ambrosij integrum afferamus, apud quem addita quædam differunt ab ijs, quæ D. Basilius habet, estque Ambrosij oratio, vt plenior, ita ærumnæ patrona, & sicut crudelitatis auari, ita & famis expressior imago, qua populus ipse, ad quem è sacro suggestu illam fudit, ad lachrymandum commotus est, vt ipse inibi testatur.

D. Am-